

sibi competentem, sed repugnantem: unde non respicit ens in tali abstractione, sed ens creabile in tota sua latitudine. Et instantia contra hoc non valet, quia ens creabile ut contractum, seu ut determinatum, jam supponit aliquam rationem entis superiorem creabilem, seu habilem attingi a potentia creativa, quam tamen actio illa non faceret; et sic non faceret totum ens quod posset fieri, sed aliquid supponeret non factum a se, atque adeo non ex nihilo procederet, nec totam potentialitatem, et actualitatem factibilem attingeret. Quod autem gradum abstrahentem a creato, et in creato non attingat, mirum non est, quia illud factibile non est: non debet autem creatio attingere nisi creabile.

Ad confirmationem respondetur, quod rationes factæ non solum probant excessum, et improportionem actionis creativæ ad eductivam, ad quem excessum vincendum sufficeret infinitas secundum quid, et quod illa actio esset alterius ordinis. Cæterum creatio non solum exigit quod sit alterius ordinis, sed etiam quod extendatur ad omne contentum sub ratione entis creabilis, et quod sit potentia a nullo dependens in agendo, ita ut per solam ejus suspensionem res decidat in nihilum, quod petit infinitatem simpliciter, ut dictum est.

Ex quibus manent explicatæ implicationes, quas affert D. Thomas ad hoc ut non sit communicabilis alicui creaturæ potentia creandi, neque adæquate, et totaliter, id est, ad omne ens creabile, neque inadæquate, et partialiter, id est, ad producendam creative aliquam rem determinatam, et non aliam, cum in hoc partibilis non sit potentia creativa, sed si datur pro indiviso, respicit totum ens, et universalissimum influxum postulat, sine hoc

quod dependeat ab aliqua alia causa res sic producta, cum ex sola ejus influxus suspensione res annihilatur. Et omnes instantiæ quæ contra has rationes adducuntur a p. Suarez disputatione illa xx metaphysicæ, solutæ sunt.

IMPLICAT DARI INSTRUMENTUM CREATIONIS PHYSICUM.

XVII. Licet D. Thomas cum magistro in iv, dist. v, et locis supra in initio articuli citatis, senserit non esse impossibilem causam instrumentalem creationis, tamen in præsentis quæstione xlv, art. v, et ii contra gentil. c. xxi, et q. iii de potentia a. iv, oppositum aperte docet; et ideo implicationem ejus oportet examinare.

Tota autem implicatio reducitur, ad hanc rationem: Illa dicitur causa instrumentalis, quæ dispositive operatur ad effectum principalis agentis: ita quod secundum quod operatur instrumentum, elevatur talis operatio ad causandum effectum principalis agentis: sed effectus proprius Dei creantis est id quod præsupponitur omnibus aliis, scilicet ipsum esse tam potentiale, quam actuale, ante quod nihil est quod possit disponi per operationem causæ instrumentalis, cum creatio operetur ex nihilo: ergo non potest in creatione intervenire causalitas causæ instrumentalis. Et addit D. Thomas hoc a fortiori procedere, si id quod assumatur ut instrumentum, sit corpus, quia propria operatio corporis non est nisi tangendo, et movendo: et sic requirit in sua actione aliquid præexistens, quod possit tangi, et moveri, et hoc est contra rationem creationis. In summa, contradictio seu implicatio stat in hoc, quod creatio essentialiter est actio ex nihilo, et cau-

salitas instrumentalis essentialiter est ex aliquo, seu in aliquo, cum sit actio præsupposita ad effectum principalis agentis, et dispositive se habens ad illud.

XVIII. In hac ratione D. Thomas illa difficultas occurrit, eamque Suarez expendit citato loco metaph. sect. iv, quia recte concludit de instrumentis naturalibus, et quæ naturalia sua habent virtutes ordinatas ad aliquem effectum, non de supernaturalibus, in quibus tantum supponitur obedientialis potentia ad hoc ut eleventur ad effectus improportionatos, et superiores. Instrumenta naturalia, seu quæ ex ipsa natura ordinantur ad effectum principalis agentis sunt sicut semen, aut virtus ab agente diffusa, mediante qua suum operatur effectum. Supernaturalia autem instrumenta sunt quæ ex natura sua ordinem non habent ad aliquem effectum principalis agentis, habent tamen obedientialem potentiam ut ad illum eleventur. Ratio ergo D. Thomæ solum videtur concludere de instrumentis prioris generis, non de secundis. Nam hoc quod est dispositive operari ad effectum principalis agentis est proprium instrumenti naturalis, quia operatione sua vel determinat actionem principalis agentis, vel eam juvat, et disponit ejus effectum inducendum. Et de his loqui D. Thomas, deducitur ex probatione subjuncta, scilicet quia si nihil ageret instrumentum, secundum id quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum, nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Quæ ratio solum habet locum in instrumentis naturæ, quæ requiruntur determinata esse ad determinatos effectus: in instrumentis autem supernaturalibus nihil tale determinatum requiritur, sed sufficit obedientialis potentia, qua elevari potest ad quos-

cumque effectus, ad quos nullam determinationem, neque dispositivam operationem habet talis causa: ergo in his non tenet ratio facta.

XIX. Secundo, urgetur contra hanc rationem D. Thomæ, quia in ejus doctrina negari non potest quod in instrumentis supernaturalibus, et elevatis a Deo non requiritur aliqua actio prævia circa subjectum, in quo ponitur effectus principalis agentis, nec quod illud tangant, aut in illo sint, imo neque quod operentur ex subjecto: ergo respectu instrumenti obedientialis, et elevabilis a Deo ratio facta non currit, sed solum respectu instrumenti connaturalis, de quo recte probatur non dari, quia nulla creatura connaturalem vim habet ad concurrendum, et influendum instrumentaliter in creationem.

Consequentia patet, quia si non requiritur quod instrumentum operetur in illo subjecto ubi fit effectus, sed quod existens in alio, vel operando circa aliud, producat effectum ubi non est: ergo similiter poterit producere ubi nihil est, et ubi nihil præsupponit de eo quod operari debet; quia si ideo non potest dispositive operari quia id quod per creationem ad creationem fit præsupponitur, et antecedit omnes alios effectus, quia est ipsum esse: ergo si non est necesse quod dispositive operetur circa ipsam rem faciendam, sed sufficit quod disponat, seu operetur circa aliud, nihil obstat quod effectus creationis sit prior aliis, et nihil præsupponat, cum non sit necesse instrumentum aliquid in eo operari. Antecedens autem constat: nam sacramenta operantur gratiam in anima, in qua nullam habent actionem propriam dispositivam, et præviam, sed tangendo corpus, animam lavant; et ignis inferni nullam præviam actionem habet in spiritum, quem torquet; et tamen agit in illum ut ins-

trumentum divinæ justitiæ. Item in sententia S. Thomæ 2-2, qu. CLXXVIII art. 1 ad 1, potest Deus assumere pro instrumento actum immanentem ut cogitationem, vel visionem, et tamen constat quod isti actus nihil ponunt in subjecto ad extra, circa quod operantur. Item quia transubstantiatio est actio operans ex non subjecto, ut docet S. Thomas III p. qu. LXXV, art. VIII, et tamen datur instrumentum ad illam, non quidem instrumentum connaturale, quia virtus ad transubstantiandum nulli creaturæ connaturalis est, sed supernaturale, cui communicabilis est ista virtus.

XX. Nec dici potest quod creatio differt ab istis, quia producit ens, in quantum ens; et sic nihil de ente supponit, instrumentalis autem actio aliquid ens supponit, scilicet ipsum instrumentum in quo recipitur. Et si est virtus, seu actio recepta, hoc ipso non potest operari ex nihilo quia est accidens; et sic operatur ut in subjecto existens: ergo ut ex subjecto, quia juxta suam naturam facit.

Sed contra est, quia ad rationem creationis sufficit quod producat totum ens, quod pertinet ad ipsam rem productam, non quod est extra illam, sicut cum Deus modo creat animam, non supponit aliquid illius animæ, bene tamen alia entia supponit, quæ non sunt anima illa: ergo etiam supponere potest instrumentum per quod operetur talem animam, sine præjudicio producendi totum ens, quod ad talem animam spectat. Quod vero operatio illa sit accidens, et requirat subjectum, solum ostendit debere dari subjectum in quo inhæreat talis actio, nempe ipsum instrumentum a quo egreditur, vel terminus cum quo passive identificatur; non vero quod debeat dari subjectum ex quo educat formam, sed poterit ex nihilo producere ter-

minum: nec enim ostenditur quod si actio, ut accidens, petit subjectum in quo sit, petat etiam subjectum ex quo operetur.

XXI. Accumulantur denique aliæ instantiæ quas Vasquez urget hic disp. CLXXVI, c. II. Primo, quia intellectus sine habitu luminis gloriæ cum solo auxilio divino potest videre Deum in sententia D. Thomæ, et tunc comparatur ad Deum, tamquam instrumentum, nec tamen habet operationem præviam, sed unicam, scilicet ipsam visionem. Item phantasma in sententia ejusdem D. Thomæ est instrumentum intellectus agentis ad producendum speciem in intellectu possibili, et tamen nullam operationem præviam habet circa ipsum intellectum. Similiter si sacramenta sunt instrumenta physica gratiæ, nullam actionem habent conducentem ad gratiæ productionem, idem est autem non habere operationem conducentem, ac nullam operationem habere, et sicut Deus per aquam abluentem producit gratiam, ita posset per aquam immotam, et non abluentem. Addit Molina, quod in effectibus artis, ut in serra, vel securi, tota actio tribuitur agenti principali, a quo instrumentum movetur, non autem securis aliquid secundum se agit, sed ut impulsus ab artifice, et in igne calefaciente per aerem, totus effectus attribuitur igni, nihil vero aer ex propriis operatur ad talem effectum: ergo non requiritur actio aliqua prævisa ad hoc ut instrumentum operetur dispositive ad effectum principalis agentis.

Quare in assignanda instrumentali causalitate differunt Scotus cum Vasquez citato loco, capite sexto, Thomistæ, et Suarez, aliisque recentiores in hoc, quod Scotus putat non dari instrumenta physica, nisi quæ virtute sua nativa disponunt aliquo modo ad effectum principalis agen-

tis; et ita solum admittit instrumenta naturæ, et artis, negat vero dari instrumenta physica gratiæ, quia nullum datur instrumentum quod operetur aliquid conducentis, et disponens ad ipsam gratiam, quod ex Scoto in IV, dist. V, §. Ad primam quæstionem, et dist. VI, qu. V, §. Circa tertium principale, affert Vasquez. Thomistæ vero dicunt requiri ad instrumentum quod operetur aliquid, ita tamen quod in instrumentis naturalibus, seu determinatis a natura requiritur, quod operetur aliquid conducentis, et disponens de se ad effectum naturæ: in instrumentis vero elevatis a Deo, sufficit quod operetur aliquid quodcumque illud sit. Et in hoc aliqui dicunt necesse esse quod instrumentum producat, seu operetur aliquid distinctum ab effectu causæ principalis, alii vero non, sed sufficere quod eundem terminum producat, licet modo sibi particulari, ut retulimus in physica qu. XXVI, art. II. At vero p. Suarez intelligit ad rationem instrumenti elevabilis a Deo sufficere entitatem rei, sine ulla operatione propria, et prævisa, sed secundum potentiam obedientialem, qua elevabilis est a Deo ad operandum effectum aliquem supernaturalem.

XXII. Nihilominus ratio quam adducit D. Thomas ad probandam implicationem instrumenti creationis, efficax est. Ad cujus explicationem est advertendum, quod instrumentum physicum dupliciter potest se habere in ordine ad effectum principalis agentis. Uno modo, quia conducit ad talem effectum, et principale agens indiget illo ad effectus suos producendos, sicut artifex ad faciendum scamnum, vel cathedram, indiget scindente. Alio modo, quia communicat in operando cum principali agente, licet principale agens eo non indigeat, tamen suam

virtutem aut potestatem ei communicat, ut operetur per illum, sicut princeps loquitur per interpretem, aut scribit per alium, etiam si possit utrumque facere per se: in creatis tamen causis non potest inveniri exemplum quod adæquate quadret modo operandi causarum instrumentalium respectu Dei elevantis et utentis illis, eo quod Deus nihil supponit in causis quod non det; atque adeo quidquid causæ instrumentales faciunt ex pura communicatione Dei faciunt, non ex eo quod aliquid ei conferant. Sed tamen quia Deus hoc communicat instrumentis si physica instrumenta sunt, ut ex ipsis oriatur, et egrediatur physice effectus (si enim moralia instrumenta sunt, non ex ipsis procedit effectus, sed ad præsentiam eorum ex voluntate, aut pacto Dei, vel statuto ipsius fit effectus physice a solo Deo) oportet quod virtus, seu motio communicata a Deo ipsi instrumento contemperetur, et constringatur ad modum ipsius instrumenti, quod cum creatum sit, non est capax virtutis, et motionis Dei, nisi modo limitato, et proprio ipsius instrumenti. Et rursum si instrumentum debet ministrare causæ principali, et ejus actionem, seu motionem deferre, et applicare effectui agendo in hoc ultra proprias vires, oportet quod non solum virtutem accipiat a principali agente, et ex illa præcise agat propria entitate mere passive se habente ita quod solum elevetur ad patientium, et recipiendum virtutem superiorem, sed oportet quod etiam aliquid ex propriis agat, et illa actio elevetur ad majorem, et excellentiorem effectum, quia alias non se habebit ministerialiter in ordine ad talem effectum, sed præcise tale instrumentum emittet effectum, seu pariet illum virtute illi communicata a superiori agente, non autem illi ministerialiter deserviet, si ex

se nullam actionem habet in qua ei ministret: alias enim vix intelligi potest quomodo sufficiat ad rationem instrumenti, quod de se ministerium importat: hoc autem quod est præcise emittit effectum per virtutem communicatam ab alio agente, etiam invenitur in agentibus non instrumentalibus, sicut luna emittit lucem, non tamquam instrumentum, sed ut luminosum, et ut principale agens, quia illi lux emissa assimilatur, et tamen non illuminat ex propriis, sed luce recepta a sole, et ferrum calefacit per calorem receptum ab igne, nec tamen se habet ut instrumentum in calefaciendo, quia sibi ut calido assimilatur effectus ille caloris, ut latius tradidimus in physica q. xxvi, art. ii.

XXIII. Igitur tota vis rationis D. Thomæ ad hoc reducitur, quod instrumentum physicum debet esse agens inferius ad agens principale, et operari modo inferiori ad illud, et tamen effectus principalis agentis debet physice nasci, et procedere a tali instrumento, utpote ultimate, et proxime attingente effectum. Quæ duæ propositiones sunt per se evidentes. Prima, ex natura ipsa instrumenti: nam instrumentum de se, et ex proprio conceptu semper est aliquid minus suo principali, cum operetur ut motum ab illo, et subordinatum illi, non quomodocumque, sed ut ministrans, et deserviens illi, alias si inferiori modo non operetur, vel esset æquale suo principali, vel saltem ut causa principalis se haberet si non æque primo, tamen ut causa secunda, quæ etiam operatur ex subordinatione ad primam, sed non ut præcise mōta, et ministerialiter operans, sed ut assimilans sibi effectum, non vero soli causæ principali, sicut contingit in instrumento cui effectus non assimilatur, sed principali. Secunda vero ex ra-

tione ipsa instrumenti physici notissima est, quia si ab eo non procedit physice effectus, sed solum a causa principali: ergo instrumentum illud solum se habebit tamquam id ad cuius præsentiam effectus procedit physice a sola causa principali: ergo tale instrumentum physice non conducit ad egressionem effectus, nisi forte antecederet disponat physice subjectum, ut effectus fiat a causa principali, quod in præsentia locum non habet, cum in creatione non possit præintelligi aliquod subjectum, quod disponatur ad faciendum effectum creationis, alias diceretur semen se habere ut instrumentum creationis animæ humanæ, quia disponit corpus, ad cuius dispositionem Deus illam creat. Nec differret instrumentum physicum a morali, quia influentia moralis in hoc consistit quod effectus non oriatur physice ab ipso instrumento, sed ad ejus præsentiam, vel orationem oriatur effectus a causa principali. Physicum ergo instrumentum tale esse debet quod ab ipso physice procedat effectus causæ principalis, sicut a securi fit scamnum, licet virtute communicata a causa principali.

XXIV. Ex his duabus propositionibus, quæ debent supponi tamquam evidentes, et explicantes requisita ad rationem causæ instrumentalis physicæ, infertur per bonam consequentiam quod si aliquis effectus qui creatur, procedit ab aliquo instrumento, necesse est quod procedat ab instrumento modo inferiori, quam a causa principali, modus autem inferior est, quia ista modo creato, et limitato agit, (si enim inferior est ad Deum, modus creatus esse debet) Deus autem modo increato, et illimitato, et universalissimo. Unde virtus, seu influxus, aut motio Dei impressa instrumento, oportet quod contemperet se, et cons-

tringatur ad modum ipsius causæ secundæ instrumentalis: nam si manet illa virtus in tota illa amplitudine, et universalitate, qua procedit a causa prima, non procedet ipse effectus inferiori modo a causa instrumentali, quam a principali, nec virtus illa erit impressa instrumento, quia non erit aliquid extra Deum, si tam universalis, et illimitata manet in suo modo operandi, sicut est in Deo. Si autem non imprimatur aliqua virtus in instrumento, non poterit ab illo physice procedere, et exire effectus, quia a virtute propria ipsius instrumenti non potest exire effectus superioris ordinis, et improporionatus, nec contentus in tali virtute inferiori: ergo oportet quod exeat a virtute majori communicata instrumento a causa principali, vel non procedat physice ab illo, quia idem est procedere physice ab illo, atque procedere a virtute in qua continetur proportionate, et physice,

Infertur secundo, quod operatio illa instrumentalis per quam sic procederet physice res creata, debet esse operatio creata, quæ sit accidens, et indigeat subjecto in quo existat, et ex quo operetur, et per modum mutationis se habeat. Unde directe, et implicatorie pugnat cum ratione creationis. Quod debeat esse operatio creata constat, quia oritur ab instrumento creato, si quidem hoc ipso quod instrumentum illud est physicum, physice procedit effectus ab ipso: ergo, et actio ultimate nascitur, et emanat talis effectus, quod si emanat ab instrumento creato: ergo non est actio increata, sed creata. Quod sit accidens, deducitur ex eodem principio: nam actio creata est causalitas agentis procedens ab ipso tamquam medium, quo effectus ipse producit: hoc autem medium, seu causalitas neque est substantia operantis, cum ab eo

procedat, neque substantia operati, cum sit medium quo procedit, et fit non ipsamet substantia, quæ fit aut prædicatum ejus substantiale: sic enim esset ei intrinsecum, et essentialiter, non contingenter conveniens, cum tamen esse factum sit prædicatum contingens: nec est aliqua substantia tertia quæ mediet inter substantiam procedentem, et operantem, quia de ratione actionis creatæ est quod emanet ab agente tamquam via, et causalitas, quæ identificatur cum termino procedente: de ratione autem substantiæ est quod sit per ens se existens, aut pars componens in facto esse; et sic non potest esse via, et transitus, sicut est actio, nec componit aliquid cum substantia ipsa operantis, vel cum substantia rei operatæ, quia est quid transiens.

XXV. Ex hoc autem, quod actio illa creata sit accidens, sequitur manifeste quod indigeat subjecto in quo inhæreat, quia accidens est. Et similiter subjecto ex quo operetur, quia medium operandi, et via est, seu fieri ad ipsum effectum; et sic antecedere ipsum debet, quia omne fieri antecederet se habere ad factum: nec potest antecederet se habere, nisi illud fieri, et illa via, et illud medium in aliqua entitate exerceatur, quæ potentialiter se habeat, et de potentia ad actum transeat respectu ipsius facti. Declaratur hoc, quia hoc ipso quod actio sit accidens non solum tenet ex parte agentis, ut actus ejus secundus, sed etiam ex parte termini facti, ut quodam fieri, et tendentia seu via ad ipsum terminum; si quidem actio quæ est accidens specificatur a termino sicut procedit a principio, et ita dependet ab utroque, respicitque ipsum terminum tamquam quædam ipsius factio, quæ cum termino identificatur: non enim talis actio est